



**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis  
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia  
Dominicarum Totius Anni**

**Hartung, Philipp von**

**Egrae, 1689**

Problema LI. Quodnam istud Modicum, quo Dominus non videbitur?  
Dominica III. Post Pascha. Modicum & non videbitis me. Joan. 16. v. 17.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



## PROBLEMA LI.

Quodnam istud MODICUM, quo Dominus non videbitur?

### DOMINICA III. POST PASCHA.

*Modicum & non videbitis me.*

*Joan. 16. v. 17.*

§. I.  
Opinio  
Bernardi  
& Augu-  
stini.

**N**on miror discipulos Modicum non cepisse, ideoque difficultate Vocabuli attonitos cogitasse: *quid est hoc, quod dicit: Modicum? nescimus quid loquitur.* nesciunt hodiéque Ecclesiæ Doctores & prædicatores, quid sit illud *Modicum*, quo Dominus non videtur. Glossa quidem ordinaria definit, triduum esse, quo clausus sepulchro non videbatur, sed hoc ipsum triduum amantibus (limbicolis præfertim) immodicum fuit. *O Modicum longum!* exclamat ingeniosè Bernardus, pie *Domine modicum dicis, quod non vidimus te? Salvum sit verbum Domini: longum est, & multum valde nimis.* Resolvit verò problema in hæc verba: *Verumtamen utrumque verum, & modicum meritis, & non modicum votis.* Modicum est omne tempus, quo Visiōnem DEI meremur, immodicum verò tempus, etsi non nisi momentum foret, quo ejusdem excludimur Visione. Paulò aliter Augustinus *Modicum exponit, & non triduum duntaxat passionis intelligit, sed to-* tum illud quadraginta dierum spatiū accipit, quod inter Ascensionem intercessit, imò & totum hoc tempus, quod ab Ascensione ad novissimum mundi diem, quo in gloria Majestatis suæ JESUS videbitur, intercurrit. Favet Augustini opinio divinum oraculum, quo Martyribus sub altari clamantibus: *usquequo Domine non vindicas sanguinem nostrum?* responsum, & dictum est illis: *ut quiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservatorum Apoc. 6. v. II.* Augustini itaqueinhærens effato, modicum esse pronuntio & tempus, & quidquid hoc tempore videtur, quo Dominus non videtur. Quidquid videntur in hac vita objicitur, revera modicum, imò nihil est, quia mera scena apparentiarum est. De his apparentiis hodie modicum.

Mirabar sæpenumero, cur Saluator noster gloriosam suam in monte Thabor transfigurationem coram electa discipulorum triade factam prohibuerit ante resurrectionis diem evulgari, *prohibuit eis dicens: nemini dixeritis Visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat;* nec

§. 2.  
Cur in  
monte  
Thabor  
prohibue-  
rit Domi-  
nus evul-  
gari suam  
transfigu-  
rationem.

Matt. 17. nec caūsam conguentiorē ha-  
v. 9. Luc. tēnus reperi, ac eam quā in hodi-  
9. v. 29. ērno insinuatū Evangelio: modi-  
cum & non videbitis me, quia scilicet  
modica & narratū pāne indigna est  
omnis illa gloria & felicitas, quā ante  
resurrectionis diem contingit.  
Evanescunt momento singula, sicut  
ipsa quoque species illa altera de  
qua Evangelista (*facta est species  
vultus ejus altera*) in Thaborea sce-  
na evanuit teste Matthæo: *Levan-  
tes autem oculos neminem viderunt,*  
vel ut habet Marcus: *& statim cir-  
cumspicientes, neminem amplius vide-  
runt.* ò visio modica, et si excellen-  
tissima! ò voluptas momentanea  
et si sanctissima! ò scena fugacium  
apparentiarum, et si coelitus instru-  
cta! modicum ergo est, quidquid  
in hoc mundo videtur, donec in  
gloria Patris sui DEUS-Homo vi-  
deatur.

§. 3.  
Mundus  
est icena  
apparenti-  
arum Ju-  
glaris  
conc. 2.  
in qua-  
drag.

Celebris pér Italiam concionā-  
tor, ut meras in hoc mundo de-  
monstret esse apparentias, à domo  
DEI incipit, in qua miraberis aras  
auro divites, at non nisi auri est su-  
perficies, si verò spectes, quod à ter-  
go occulitur, cauos & deformes  
truncos videbis; marmora por-  
phyretica te intueri putabis, at non  
nisi subtilioris crusta est calcis. can-  
delabra argentea, intus inania, in  
tam formolo corpore animam non  
habent aliam, quām ferrum & lig-  
num. Smaragdi, rubini, sapphyri,  
topazii qui in sacro ornātu spectan-  
tur, non raro sunt vitra colorata vi-  
ridia, rubra, cærulea, fulva; calicem  
dices aureum, qui non nisi è vili  
stanno est; peristromata quibus  
parietes superbunt acu phrygiā  
pictos flores aptè repräsentant,  
quia ut flores evanescunt. Et quam-  
diu has templi divitias spectare li-  
cebit? dum festi præterierit solen-  
nitas; post quam denudantur pa-  
rietes, spoliantur aræ, pretiosis vi-

lia succedunt. Qualis templorum,  
tal is est mulierum ornatus, prout il-  
lum regius Psaltes depingit, qui ubi  
dixisset: *Homo vanitatis similis fa-  
sus est, dies ejus sicut umbra prætere-  
rit, sub jungit de filiis, & filiabus ho-  
minum, quorum filii sicut novelle  
plantationes; filiæ eorum compositæ,  
circumornatae, ut similitudo templi,*  
novellis plantulis quas facile prui-  
na decoquit, æstus exurit, frigus  
constringit, & severior aura afficit,  
comparantur filii, filiæ verò orna-  
mentis templorum, quāmodico  
durant tempore, quasi tesseram ser-  
varent suam: *modicum & non vi-  
debitis me.* Ex templo ad palatia,  
& aulas progredere, ubi semper  
forma exterior superabit interior;  
inquilini verò pavoni sunt  
similes, de quo Tertullianus apud  
Pierium l. 41. multicolor, & discolor,  
& versicolor, nunquam ipse, semper  
alius, et si semper ipse, quando aliis.  
vel è prosapia sunt illius Aeschylis,  
quem Demosthenes tragicam simi-  
am nuncupavit, *vitam enim suam,*  
inquit Basilius, *velut è proscenio ad  
ostentationem componunt;* sed hæ  
scenæ facile clauduntur, & pro epi-  
logo decantatur: *modicum & non  
videbitis me.* Nec aulici modò  
scenæ histrio nicas exercent, sed *om-  
nium hominum vita,* ut divinè scri-  
psit Gregorius in moral. *est quedam  
visio phantasmatis, quæ hic ostendit in  
imagine, quod non habet in veritate.*  
Hoc solùm de singulis, & à singulis  
verissimum est dicere: *modicum &  
non videbitis me.*

Pl. 123. v.  
5. 13. 14.

Scimus ex Evangelio, quomo-  
do dæmon in montem excelsum  
valde (cui *Quarentena* nomen est;  
duobus milliarib[us] Jerichunte dif-  
fusus, teste Alberto magno, & Bonä-  
venturā) assumserit Dominum, &  
ostenderit ei omnia regna mundi,  
& gloriam eorum: quomodo o-  
mnia

§. 4.  
Quomodo  
diabolus  
ostenderit  
Christo o-  
mnia re-  
gna mundi

mnia regna? sunt in mundo septuaginta duo regna, unde & è sacerdotali ueste totidem dependebant malogranata, spatium vero terrarum orbis ad quinque milliarium millia porrigitur, cum optimus oculus nec ad medietatem pertingat, quomodo ergo omnia mundi regna ostendere Christo diabolus potuit? per species ut vult S. Cyprianus, per illusionem, ut solet, & quidem ostendit ei omnia regna orbis terræ, in momento temporis Luc. 4. v. 5. eleganter Ambrosius l. 4. in Lucam: Bene in momento temporis secularia, & terrena monstrantur, in momento enim cuncta illa prætereunt, & sepe honor seculi abiit, antequam venerat. Quid enim seculi potest esse diuturnum, cum ipsa dinterna non sint secula? Estne ergo resvideri, & amari digna, quæ durat momento, neque in veritate aliud est, quam representatio, & apparentia vanissima? Chrysostomus quoque in Ps. 2. Tunc archidemon in punto temporis omnia regna mundi, & gloriam eorum coegerit, & cum omnibus vijsus est, ut cum omnibus evanesceret. & de omnibus contendebat, ut in omnibus caderet, & vinceretur, faciebat enim, quod nesciebat, & passus est, quod ignorabat. Nec sufficit ei ostendere, promittit insuper: Hec omnia tibi dabo. ut fallat deceptor, ait D. Maximus hom. 4. offert, quod non habet, & ut vere cæcus cœlorum Domino terrarum regna promittit. Chrysologus vero Serm. 15. pendens, quod addit Lucas v. 6. cui volo, do illa. haec dicit, non quod possit dare, sed fallere. ex quibus deducit Salvianus l. 3. ad Eccles. Quis ergo furor est, viles à vobis animas vestras haberi, quas etiam diabolus putat esse pretiosas ac per hoc quinque animas suas negligunt, etiam infra judicium diaboli se amant.

Quod in hoc mundo oculos non modò Regum, & Principum, sed etiam rusticorum & mendicabilorum maximè oblectat, divitiae sunt, quæ licet immodicæ sint, revera tamen non nisi Modicum & nihil appellari merentur. *Divitias nobile esse duxi*, inquit Regum sapientissimus Sap. 7. v. 8. pendebantur ei annuè in tributum sexcenta sexaginta sex auri talenta, five sexdecim milliones, centum octoginta quatuor millia aureorum. Et hoc nihil est? nihil esse duxi. Et cur nihil? quia nihil permanet sub sole. *ipsa pecunia rotunda signatur* ait August. in Ps. 83. quia non stat. omnibus divitiis lex scripta est Ps. 57. v. 8. adnibilum devenient. Gratulabatur si bi apud Oseam. c. 12. v. 8. nescio quis: *Dives effectus sum, inveni idolum mibi, & quid est idolum?* Paulum audi 1. Cor. 8. quia idolum nihil est. *Est quasi dives cum nihil habeat*, inquit proverbialiter Salomon. In quæ verba optimè Hugo; est quasi dives non vere dives, babere se divitias putat, cum nihil habeat. Moyses missurus ad promissionis terram filios Israël petit à Rege Edom transitum, pollicitus, quod nihil essent Israëlitæ delibaturi ex divitiis universis: nam ista ait Philo lib. de immortal. Dei. que tibi chara sunt, omnino nihil sunt. Notet haec, qui concupiscentiæ oculorum captus est: ista quæ tibi chara sunt, nihil, nihil, nihil sunt.

David et si plenus divitiis, & gloria 2. paralip. 29. & qui, ut videre est apud Vilalp. Tom. 2. pag. 506. tantas filio reliquit divitias, ut fidem pene superent videlicet ter mille ducentos milliones auri, duplo plus de argento, pauperem se tamen vocat & substantiam suam tanquam Nihilum; causam dat S. Basilius

§. 5.  
Modicum  
in nihil  
videt, qui  
divitias  
valat.

Proverb.  
v. 3. v. 2.

in Ps. 9. *Sepissimè se David pauperem, & tenuem appellat, quamvis regius circumstueret opibus, ac divitiis, utpote cui certè constaret, omnia sua rursum, pulcherem, nihil esse.* Didicit hoc à Patre filius proverb. 13. est quasi dives, cùm nihil habeat; quod expōnens Hugo Carenensis: *Est quasi dives, sed non verè dives, quasi tantum divitias hujus mundi habet, cùm nihil habeat.* Aman de immodicis opibus suis fatetur: cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto Esth. 5. Nimirum omnia bona hujus mundi veniunt, abeunt; assistunt, evanescunt; teneri videntur, & non tenentur, inquit S. Ambrosius ep. 44. Similiter de Honoribus dicendum est, esse quid Modicum, imò Nihil. Augustum narrat Svetonius sub vitæ supremam periodum exclamasse: *Omnia fui, sed nihil expedit. Omnia fui, sed nihil sum.* Loquere Salomon; quid es? *fui Rex Israël in Jerusalem.* Quid est fui: tempus præteritum signat, cuius in præsenti nihile est. De mortuo dicitur; *Vixit, Fuit.* Cùm exspirat oratio & dicendum super est nihil, dicitur: *Dixi.* At Salomon post hæc effata Rex adhuc permanxit, quid ergo dicit *Fui.* Hugo de S. Victore hom. 5. ex eo probat Salomonem perspèctamundi vanitate omnia habuisse pro nihilo. *Fui jam non sum: quia et si sum, id ipsum jam nihil esse agnosco quod sum.* O perspicaces sapientum oculos, qui dum omnia vident, nihil vident.

§. 6.  
Voluptas  
Nihil.

*Quid de voluptate dicam? nihil est.* Experto credamus Salomonis, cui septingentæ uxores quasi Reginæ, trecentæ concubinæ erant, ferò exclamanti: *Vanitas Vanitatum* Syrus habet *inanitas inanitum!* alii degunt nihilum nihil, & o-

mnia nihil. O si Salomoni licet redire ad vitam, & ex hac cathedra agere Ecclesiasten, quid diceret? quid inclamaret, utique illud S. Savii à morte ad vitam revocati apud Greg. Tur. 1. Hist. c. I. *Audite filii Adæ, & intelligite, quia nihil est quod cernitis in mundo hoc, sed omnia vanitas.* Omnia ergo ut *vana contemnite, ut veram gloriam DEI mereamini adipisci in cælo.*

Væ illis qui lètantur in nihilo Amos 6. per nihil peccatum intellegit Augustinus tract. 1. in cap. 1. Joan. *nihil sunt homines cùm peccant.* Et B. Damianus ad Desiderium Abbatem. *Tunc cùm videbantur esse impii, ad nihilum potius pertinebant, quā ad verum esse, qui enim ab illo recedit, qui verè est, neceſſe est, ut non sit, quia ad nihilum tendit.* Ethnici in errorum caligine acutum viderunt teste Senecā ep. 88. Nausiphaës dicebat, *ex his, quæ videntur esse, nihil magis esse, quā non esse.* Parmenidis vox erat: *ex his quæ videntur, nihil esse universum.* Zeno Eleates: qui omnia negotia de negotio dejecit, ait nihil esse. Plus omnibus sapuit Jobus cùm dixit: *Nihil sunt dies mei.* Ad quæ verba ingeniosè alludens S. Augustinus tract. 10. in Joan: *Ista vita, inquit, non est nominanda vita, quia non est vera vita: nam vera vita non est nisi quæ eterna.* Cùm itaque vita ista non sit vita, adeoque nihil, quid tanta studio (verba D. Chrysostomi) quod nihil est quæris, quid labores pro nihilo sustines? at splendidissima officia conspicis, eorumque te fallit asperitus. in Coelum protinus sustolle oculos, animadverte formicarum ista esse, & culicum opera. Heu! exclamat Lipsius, res mortalium vel maximorum parvæ, heu validissimorum instabiles, imò om-

## PROBLEMA LI.

nia illa somnium, umbra, nihil.  
Repudietur ergo à nobis tempora-  
lium felicitas, quæ nihil stabile, ne-  
que firmum (Chrysost. in Gen.  
Serm. 22.) sed solum est oculorum  
deception, & priusquam appareat,  
avolat. De omnibus ac singulis o-  
culorum illecebris repeti potest il-  
lud Philonis: priusquam preben-  
dantur, possessore illafo, rursum avo-  
lant, atque etiam, cum adjunt, maximè  
speculares quasdam representant  
imagines, prestigias sensuum, ludibriæ  
que instabilia. Concludat Augusti-  
nus: Detestandi eritis, si nibil ame-  
tis; amate, sed quid ametis, videte.  
Surdi eritis, & plus nimio absurdii,  
nisi ex qualibet creatura resonare  
hanc vocem audiat: modicum &  
non videbitis me.

robolo in aëre scintillanti: Mod-  
icum & non videbitis me. addamus  
eandem epigraphen fulguri ab ori-  
ente ad occasum pernicissimè  
transvolanti, quod oculos ferit dum  
illustrat: Modicum & non videbi-  
tis me, iridi in nube rorida colores  
suos explicanti subjungamus: Mod-  
icum & non videbitis me. Idem de  
Sole ad occasum vergente, idem de  
pavone Syrma suum ad conspectum  
pedum contrahente, idem de Navi  
remis velisque avolante, idem de  
nique de me, dese, de omnibus  
nobis dicat unusquisque:  
Modicum & non videbi-  
tis me.

Pro coronide inscribamus py-



PRO-